



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

Titvlvs XLII. De alienatione mutandi iudicij causâ facta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

TITULUS XLII.

DE ALIENATIONE, MUTANDI JUDICII
CAUSA FACTA.

Dicitur alienatio mutandi iudicii causâ fieri, quando quis ex metu litis sibi de tali re movendâ, dolo malo in alium possessionem illius, aut dominium transfert, ut per talem dolosam alienationem iniquior aliterius, qui litem fortasse moturus timetur, conditio fiat, ratione mutati v.g. Judicis, &c. Et hinc ad hanc alienationem tria requiruntur. Primò ut fiat iudicii mutandi causâ, futuri scilicet quod timetur, non ejus, quod jam sit; in hoc enim casu, res litigiosa dicitur esse alienata, quæ alienatio de jure Civili nulla est. Secundò requiritur, ut dolo malo (ex animo scilicet alterius conditionem difficiliorem faciendo, & non tantum bonâ fide) translatio talis possessionis, sive rei fiat, alienando scilicet eam, vel in personam extraneam, vel in potentiorum, vel alio modo conditionem illius, qui litem noturus timetur, reddendo difficiliorem. Tertio ut inter sit actoris v.g. ob damnum, quod passus est, & ob expensas majores, quas facere debuit, &c. alienationem hanc factam non fuisse. De hac au-

tem sic explicata alienatione duo in jure Canonico statuuntur. Primò in c. 1. h. e. quod vi rescripti contra alienantem antefactam alienationem, aut cessionem impetrati, tam alienans, quàm possessor res alienatæ coram Judice delegato conveniri possit (contra id, quod alibi dicitur, rescriptum ad lites impetratum, à persona in personam extendendum non esse) si tamen scivit possessor, alienationem, mutandi iudicii causâ, per fraudem factâ in se, ut ne talibus fraus sua patrocinetur. Secundò in c. 2. h. e. prohibetur, ne Clerici sub interminatione censuræ Ecclesiasticæ faciant sibi cedi actiones, & lites à Laicis mutandi iudicii causâ, ut Laicos ad forum Ecclesiasticum trahant, sive deinde induxerint, tales ad cessionem talem faciendam titulo lucretivo donationis, sive titulo oneroso venditionis v.g. &c. quia videtur talis cessio procurari ex affectu avaritiæ Clericum decedentis, qui affectus faciliè in talibus Clericis præsumitur.

TITULUS XLIII.

DE ARBITRIS.

§. I.

De Arbitris in genere: eorumq; divisione, & differentiis inter Arbitrum & Judicem.

Arbitri ab arbitando, censendo & æstimando sic dicti, si in latiore hac

acceptatione sumuntur, idem dicunt quod arbitratores, qui tanquam viri boni & æqui ad negotium aliquod æstimandum assumuntur, ut quid sibi de re aliqua videatur edicant. Propriè autem & magis strictè ille dicitur Arbitrator, qui sive ex ju-